

Dissertatio medica de pleuro-peripneumonia gastrica et phlogistica : quam ... in Augustissimo Ludovico Medico Mospeliensi propugnabit / Joannes-Baptista Francez Lapurdensis in Bigerriâ ... In Baccalearatûs gradu consequendo.

Contributors

Francez, Jean-Baptiste.
Université de Montpellier.

Publication/Creation

Mospelii : Apud Joannem-Franciscum Picot, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qusfc7v6>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Supp. 59,230/13





DISSERTATIO

MEDICA

DE PLEURO-PERIPNEUMONIA GASTRICA ET PHLOGISTICA.

QUAM, Deo duce, & auspice Dei-parâ, in
Augustissimo Ludovico Medico Mospeliensi
propugnabit JOANNES - BAPTISTA FRANCEZ
Lapurdensis in Bigerriâ, Artium Magister, & in
augustâ Medicorum Mospeliensium Universitate
jam-dudum studiosus. Pro trimestri Aprilis anni
1785.

In Baccalaureatûs gradu consequendo.

O quantum difficile curare morbos pulmonum! O quanto
difficilius eosdem cognoscere, & de iis certum dare
præfagium! BAGLIVIVS, *de Pleuritide.*




MONSPELII,

Apud JOANNEM - FRANCISCUM PICOT, Regis, Universitatisque
Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXV.

unprinted inop...



ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex, Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPAR-JOANNES RENÉ, *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES - CAROLUS DE GRIMAUD, N. D. DE BARTHEZ, *Coadjutor.*

N. D. HENRICUS - LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE, *Coadjutor.*

349090



COLENDISSIMIS PARENTIBUS,

*Suas in Arte Medicâ primitias, in reverentiæ
& gratitudinis signum, sacras vult,*

Obsequentissimus Filius,

J. B. FRANCEZ.

DISSERTATIO

MEDICA

DE PLEURO-PERIPNEUMONIA GASTRICA
ET PHLOGISTICA.

ANTEQUAM de pleuro-peripneumoniis nominatis differam, expendendum venit cur hasce affectiones tali sub nomine designaverim. Juxtâ enim Cel. Selle « nihil est ordini rerum magis consentaneum, quam vim vocis explicare, si rei sub voce indicatæ, causas, vel naturam inquirere velimus. » Itaque ut rectè mea stabiliatur opinio, duo sufficiunt. 1^o. Ut pleuritidem à peripneumoniâ.

distinguere impossibile sit ; 2°. ut indistincto utroque morbo , nullus in praxi medicâ se subripiat error. Atqui hæc duo certa sunt.

1°. Impossibile est has affectiones distinguere , si in utrâque eadem appareant symptomata ; atqui in utrâque eadem apparent symptomata , adfunt enim tussis , febris , difficultas respirandi , ergo primo , &c.


Et certè , constat multos fuisse ægrotos quos de affectione pleuriticâ mortuos putabant Medici ; & tamen apertis cadaveribus , non pleura inflammata apparuit ut credendi erat locus , sed contra pulmones , in quibus ne minimum quidem suspicabantur vitium. Sic *Petrus Servius* , dissectis tercentorum pleuriticorum cadaveribus , pulmones inflammatos , aut purè turgidos invenit , illæsâ , aut saltèm ferè miñimè vitiatâ plevrâ.

Aliundè , si res aliter se haberet , difficilè explicaretur cur sanguinem cum purè expuerent pleuritici ; nam loquente *Cælio - Aureliano* « singula extussita » de pulmone venire certum est , qui nequè venis , » nequè arteriis , contiguus , vel admixtus lateri esse » videatur ; ut accepta , per ipsum excludi è latere » posse credamus. » Hæc tamen veritas anatómica quasdam patitur exceptiones , cum constet plures vixisse , qui pulmones plevræ adnatos habuerunt. Hoc accidit iis præsertim qui pleuro-peripneumoniâ experti sunt. Sed hæc rara , & ideò posita nostra generalia non evertunt.

2°. Indistincto utroque morbo nullus in praxi se subripiat error. Enim verò , eadem posita causâ , similis adhibetur curandi methodus æquali cum successu , nam si à vitio gastrico per emetica sanabitur , si à vitio phlogistico sanguinis venæ-sectio

omnem adimplebit paginam, ergò secundo &. Aliundè primo &. Ergò rectè mea stabilitur opinio.

His præmissis, opportunum sibi locum invenit, in isto tractatu servandus ordo, quem paucis exponam. In quinque capita dividetur mea dissertatio. In primo de definitione utriusque morbi agam; in secundo de causis, in tertio de symptomatibus; in quarto de curatione; in quinto pauca quædam adnotabo, circa prognosim, terminationes, crises, & complicationes utriusque. Unum quodque caput in duos subdividam articulos. In primo quod de gastricâ mihi dicendum incumbet paucis enarrabo. In secundo autem quod de phlogisticâ. Sit itaque.



C A P U T P R I M U M

*De definitione, pleuro - peripneumoniæ
gastricæ & phlogisticæ.*

A R T I C U L U S P R I M U S

De Gastricâ.

SI *Stollium* & *Baglivium* audiamus, fomitem hujus morbi in ventriculo & intestinis esse videbimus. Ad hanc sedem attendendo difficilè non erit legitimam morbi definitionem tradere. Hunc itaque definiemus peculiarem ac inflammatoriam plevræ & pulmonum affectionem, à pravâ intrâ primas vias materie ortam. Legitima habebitur hæc definitio si cum regulis logicis congruat; atqui

reverà congruit, est enim brevis, clara & ergò legitima.

ARTICULUS SECUNDUS

De Phlogisticâ.

Istius morbi definitionem ut superius allatam ex causâ materiali deducemus non verò ex symptomatibus, cum referenda venirent omnia quæ hunc morbum comitantur, & potius descriptio, quam definitio dici posset. Plevro peripneumoniam ergò definiemus peculiarem plevræ & pulmonum affectionem à vitio phlogistico sanguinis, vel quod idem est inflammatorio ortum ducentem. Hanc accuratissimam definitionem regulæ suprâ assignatæ demonstrant.

CAPUT SECUNDUM

De causis utriusque morbi.

ARTICULUS PRIMUS

De Gastricâ.

CAUSARUM denominationem antecedere debet quædam circâ illarum distinctionem notio. Sic relictis continentibus & non continentibus, remotis & proximis, triplex cum Cel. Selle admitteremus causarum genus. Primum erit remotarum, secundum materialium, tertium formalium; ex quarum

omnium actione coalescit morbus diversus pro
diversâ illarum naturâ.

R E M O T Æ.

Per causas remotas intelligimus eas quæ solæ non valent morbum producere sed aliarum concursu indigent. Ille concursus causam externam constituit, quæ vitium quoddam tum in solidis, tum in fluidis valet producere; & ex quâ oriuntur prima morbi phænomena. Cum hæc causa non sit à remotis realiter distincta sed tantum remotarum collectio, de illâ peculiare quoddam genus efficere inutile putavi; cum sinè sufficienti ratione sat amplum adauxissem causarum numerum.

M A T E R I A L E S.

Materiales causæ dicuntur illæ quæ morbi rationem sufficientem non continent; sed tantum id denotant quod causis formalibus exceptis, proximè morbum constituit; quo excerpto morbus dirimitur, quo autem præsentè nondum ponitur.

F O R M A L E S.

Causæ formales sunt eæ quæ in morbo producendo, viribus, corpori ejusdemque partibus propriis; atque idiosyncrasis tribuendæ sunt. Ut melius hujus distinctionis pateat veritas, sit in exemplum garrica plevro-peripneumonia in illo morbo causæ remotæ erunt, aër, cœli constitutio, &c. materialis erit propria materies, in ventriculo contenta, & à

variis remotis causis producta quæ pro varietate causarum formalium varios poterit morbos procreare. Quantum enim infelix genus humanum, si quoties pravæ existerent in primis viis materies toties pleuro-peripneumoniam experiretur! formalem constituet materialis actio, diversa pro variis viribus, corpori, ejusdemque partibus propriis, & peculiari idiosincrasia, cum possit nunc dysenteriam, nunc ophtalmiam, nunc hepatidem producere. Hæc sufficiant circa generalem causarum notionem. Ad eas deveniendum quæ huic morbo ansam præbere possunt, exordium à remotis sumendo.

R E M O T Æ.

Prima anni tempus. Ut anni tempus tanquam hujus morbi causa haberi possit, requiritur tantum, ut in variis anni temporibus existant qualitates quæ huic morbo ansam præbere possint; atqui hæc qualitates existunt; nam tempore autumnali, aër humidus & calidus existit plerumque; porro ad morbum hunc producendum maximè confert. Illius ope laxantur corporis fibræ, ob quarum laxationem debilitantur vires digestivæ, & morbi producuntur verè gastrici ab atonia. Ergo primo anni tempus.

Secunda cœli constitutio. Nullus est qui dubitet quantum in morbis producendis influat cœli constitutio; scitur enim quod licet autumnali tempore aër sit calidus & frigidus vulgò, tamèn omni tempestate possit idem accidere phœnomenum & similes morbi produci, quod non adveniret nisi in morbis procreandis valeret cœli constitutio ergò secundo cœli constitutio.

Tertia grassans epidemia. Constat observatione neotericorum quod dum v. g. adsunt febres inflammatoriæ si superveniat pleuro-peripneumonia de genere sit inflammatorio, & eandem mereatur medendi methodum ac febris ipsa; nam in illo casu modò adsint minima signa inflammationis anxius non debet herere Medicus, sed remedia antiphlogistica adhibenda. Hanc methodum optimo cum successu secutus est *Stollius* & alii plurimi non infimæ notæ Medici. Ergò tertio grassans epidemia.

Quarta alimenta difficilis digestionis. Illa talem debent producere effectum si nimis intrà ventriculum immorando, pravam possint acquirere indolem; atqui hoc certum est, constat namque quod pingua v. g. difficilè digerantur & facilè rancescant in stomacho & præsertim si quis vinum potiùs quam aquam super bibat, ergò quarto alimenta difficilis digestionis.

Eadem timenda de usu immoderato fructuum & præsertim immaturorum, difficilè enim in chylum mutantur & putrescunt citissimè.

Idem pravus adveniet effectus, si alimenta non noscivâ qualitate, sed tantùm nimiâ quantitate sumamus. Distendetur enim ultrà modum ventriculus. Ex nimiâ distentione impediatur ejus actio in cibos; simulque non sufficient succi ad penetranda alimenta, & necessariò in putredinem mutabuntur.

Quinta suppressa transpiratio. Transpiratio nihil aliud est quam humor excrementitius per poros cutis exiens, si ergò ob rationem aliquam intrà humorum massam deferatur valebit varios morbos

producere, qui morbi erunt partibus in quas tendet analogi. Ergò quinto suppressa transpiratio.

Sexta bilis. Bilis vel ob nimiam quantitatem, vel ob pravam qualitatem tanquam hujus morbi causa remota haberi debet. 1^o. Quoad nimiam quantitatem si intrà ventriculum plus æquo affluat, potest ob languidam vim coctricem, præsertim æstate, pravas induere qualitates & ansam morbo præbere. 2^o. Quoad pravam indolem in illo statu non solum morbum producet, sed etiam alimenta in ventriculo contenta, in saburram acidissimam dentes stupefacientem & acidum vitriolicum spirantem, ut optimè dicit *Stollius* immutabit. Ergò sexto bilis.

M A T E R I A L I S.

Causa materialis erit pravus primarum viarum apparatus, ut superius diximus. Variabit illius natura pro causarum remotarum illam producentium varietate.

F O R M A L I S.

Formalem secundum jam dicta constituet peculiaris materialis actio juxtà vires corporis, & subjecti idiosyncrasiam. Enumeratis variis causis quaerendam venit quomodò fiat causa formalis, seu quod idem est, quomodò causa materialis agat in pulmones & pleuram. Si *Ballonium* audiamus illud fieri per vapores fursùm elevatos videbimus. Si contra *Selle* credamus, ob sympathiam, per nervorum irritationem talia accidere constabit. Si feligere inter illas opiniones liceat, irritationem admittere fas erit eum rationi magis consentanea

videatur hæc opinio ob, à tempore longo, jam demonstratos inter pectoris organa & ventriculum consensus.

A R T I C U L U S S E C U N D U S

De Phlogistica.

R E M O T Æ.

Prima anni tempus, secunda cæli constitutio, tertia grassans epidemia. De iis modo scripta non repetam. Notabo tantum quod, ea quæ de aëre calido & humido diximus, nunc de aëre frigido & sicco esse intelligendâ, & probationes allatas inversè etiâ accipiendas.

Quarta subita corporis exestuatio & refrigeratio. Et 1^o. exestuatio ut exestuationem tanquam remotam hujus causam habeamus, sufficit ad illa phænomena attendere, quæ ab ipsâ in œconomiam animalem producuntur. Subitâ exestuatione, adaugentur varii in corpore motus, citatior liberiorque fit circulatio; quod fit sensibile per venarum sub cute perreptantium intumescentiam. Patentiora sunt cutis spiracula, transpiratio ad sudorem usque provehitur. 2^o. Refrigeratio. Si his omnibus de repente superveniat frigus, horret totum corpus, minuitur vel subitò impeditur circulatio, frigus in extrema, pallet vultus, supprimitur transpiratio, & lentor inflammatorius plerumque lethalis procreatur in subitâ imminutione circulationis in superficie contra totali, quasi ictu fulmineo percussus moritur æger. Ergò quarto subita corporis

exestuatio & refrigeratio in hujus morbi caufarum cathologo reponi meritò poteft.

Quinta abufus alimentorum acrium, & liquorum ardentium potus. 1°. Alimentorum acrium abufus. Poffunt namque alimenta, acrimoniam chylo fuppeditare, chylus fanguinem infestando vafa constringere, & lentorem procreare inflammatorium. Ergò primo alimentorum acrium abufus. 2°. Liquorum ardentium potus. Hujus propositiois patet veritas ex effectibus quos producunt, subtiliorem namque humorum partem diffipant, ex quâ diffipatione facilè nafcetur ad morbum dispositio. Ergò fecundo liquorum ardentium potus, aliundè & ergò quinto abufus alimentorum acrium, & liquorum ardentium potus.

Sexta excessus in venere. Per illum enim excessum effluit tenuior pars humorum cum semen habeatur tanquam balsamum corporis, & fanguis illo expoliatus viscositatem quandam acquirat quæ ad hunc morbum prædisponit ergò sexto excessus in venere.

Septima plethora & suppressio sanguinea. Hæc omnia tanquam remotæ causæ haberi possunt cum vafa ingurgitando debiliora, cursum sanguinis retardent. Ergò septimo plethora, & suppressio sanguinea.

Octava, varia animi pathemata. In exemplum tantum sint ira & terror. 1°. De irâ. Irâ dum subitâ excandescit homo inflatur facies, rubet, calet totum corpus, oculorum tunica adnata sanguine subfunditur, pulsus celer & validus est, quæ omnia docent sanguinem rapidissimè moveri, & per errorem loci lentorem inflammatorium produci posse. Ergò primo ira. 2°. De terrore. Terrore dum

quis percellitur, uno momento pallet totum corpus, mox suspiria, anhelitus, & ponderis præmentis circà præcordia sensus adsunt. Quæ docent circulationis tarditatem undè repeti potest remota morbi nostri causa. Ergò secundo terror, aliundè ira ergò octavo animi pathemata.

M A T E R I A L I S.

Illam causam assignare difficilè non est. Ut in isto articulo patuit omnia ad viscositatem humoribus inferendam conducunt; ergò viscositas seù lentor inflammatorius materialem plevro-peripneumonix phlogisticæ causam constituit.

F O R M A L I S.

Formalem ex materiali eruere facillimum. Si ad dicta superius attendamus actionem lentoris in vasa pulmonum & plevræ, ob facilitatem quæ stat in illis partibus ad morbosam dispositionem suscipiendam pro causâ formali habebimus. Jàm satis de causis utriusque morbi; in illarum & enumeratione & explicatione accuratissimam attentionem adhibui, felix si juvenilem non perdiderim operam, cui si quid defuerit parcendum.



CAPUT TERTIUM

De Symptomatibus.

ARTICULUS PRIMUS

De Gastricâ.

ANTE symptomatum descriptionem mitti debet brevissima de illo cognitio. Veteres latissimo sensu hanc vocem accipiebant, & symptoma vocabant illud omne quod ægro seu corpori accidit sive secundum naturam, sive præter. Quæ quidem definitio est etiam ex *Galeno* hodiè ab omnibus rejicitur, & de statu tantum morbofo intelligitur itaque symptoma dicimus cum *Gaubio* illud omne quod ægro præternaturam accidit, fitque illius vel Medici sensibus obvium. Brevis hæc notio sufficiet ad clariorem dicendorum intelligentiam.

In morbi istius gastrici symptomatibus enumerandis *Stollium* in Arte Medicâ commendatissimum ducem sequemur, cum de illo rectius aliis scripserit; quæ quidem veritas à *Cel. hujus Ludovicei Professore D. D. Vigarous*, in aureis suis prælectionibus, confirmata mihi aliisque auditoribus fuit. Quis enim illo loquente in re præsertim Medicâ dubitaret? Duplicis generis sunt in hoc morbo symptomata antecedentia scilicet, & concomitantia.

Inter antecedentia numerantur, dejectus appetitus, insipiditas & aliquandò amaror oris cum capitis gra-

vitatibus quibus jungi possunt vel vomitus , vel diarrhæa.

Hæc sequuntur presso pede concomitantia quæ plurima sunt numero, & sequenti ordine procedunt. Primo apparent horripilationes vel intensum frigus, accidit dein calor, pectoris oppressio, spirandi difficultas, tussis humida à principio morbi durans, sputum subflavum, mucosum, rarò lineis sanguineis intertextum, dolor ardens, qui nunc in uno, nunc in altero latere sedem habet, vel utrùmque occupat. Facilis est decubitus in latus quodlibet. Tenduntur hypocondria & dolent. Tenditur stomachus & dolore afficitur ad attractum augente. Ructus aliquandò amari, rubent oculi & facies, quæ rubedo subflavo quodam colore intermiscetur, qui ut D. D. *Vigarous* expressione utar meliùs ad ægri lectum cognosci, quam definiiri valet. Sitis parva aliquandò etiàm nulla, lingua flava, lumborum dolor, urinæ etiàm flavæ cum sedimento lateritio, tormina, diarrhææ vomitus aliquandò biliosi sublevantes, pulsus parvus, celer, & variâ in variis mollitie. Dolor capitis atrocissimus, ardens, erraticus, rarò per respirationem auctus. Talia sunt gravia hujus morbi symptomata, In uno eodemque ægro simul non reperiuntur: variat illorum existentia, pro majori minorive morbi intensitate, & subjecti idiosyncrasiâ, cum sint ægro- rantes in quibus nil præter tremorem labii inferioris cum aliis minimis signis juxtâ *Stollium* reperi- tur.



ARTICULUS SECUNDUS

De Phlogistica.

Pleuro-peripneumoniam phlogisticam nulla antecedunt symptomata, derepentè ingruens inopinantes corripit. Exordium habet ab horrore vel etiam ab ingenti frigore cui succedit calor, summa respirandi difficultas, dolor pectoris punctorius fixus in latere inter tussendum vel respirandum auctus, cum tussi aliquandò initio sicca, vel cum sputis mucosis, quæ lineis sanguineis striantur. Suprà latus affectum impeditur decubitus. Rubet intensè facies, rubent & scintillant oculi. Sitis adest ingens, lingua sicca & arida lumborum acutissimus dolor, urinæ paucae, rubrae, nil deponentes pulsus durus, celer, & magnus. Licet tamen parvus, & quasi oppressus aliquandò appareat, quod à plethorâ plerumque originem habet. Adfunt quoque dolores capitis, & dum sanguis emittitur apparet crusta alba quam phlogisticam vocamus, de quâ aliquid dicendum congruum mihi videtur. Circâ illam duplex exurgit enodanda quæstio. Prima an semper in morbis inflammatoriis existat; & debeat haberi tanquam essentielle diathesis phlogisticæ signum? Secunda num boni ominis præsentia illius, pessimi verò semper absentia? Quoad primam quæstionem varia est variorum opinio, contendit enim *Cel. Syvietenius*, se observasse inflammationes in quibus non aderat crusta illa phlogistica, illasque aliis periculosiores vidit. Huic assentiri videtur *Trillerus* quoad primam propositionis partem cum dicit sæpè non observari

in morbis inflammatoriis , primis diebus præfertim. Quoad secundam partem scilicet an sit diathesis phlogistica essentialè signum? Affirmativè respondet idem « Auctor. Hæc crusta , inquit , summum inflammationis phlogisticae signum portendit. » Cui accedit etiàm D.D. *Vigarous* opinio , ideòque concludemus quod in morbis inflammatoriis semper non existat ; sed quod ubi apparet , tanquàm essentialè inflammationis phlogisticae signum , haberi possit. Quoad secundam vero quæstionem dissentiunt summi duo viri nempè *Baglivius* & *Trillerus*. Sic primus loquitur , « si in sanguine è vena extracto , non » appareat crusta alba , quæ necessariò apparere » debet pessimum , materies namque illam efficiens , » intrà pulmones remanet , eosque infarcit , undè » paulòpost crescunt febris , inflammatio , respi- » randi difficultas , & reliqua symptomata. » Alter autem contrarium asserit « nemo Medicorum (in- » quit) desperet salutem , ubi pleuriticorum sangui- » nem nobili illâ crustâ orbum conspexerit , quin » potiùs , impensè sibi gratuletur , quod ægros » nactus sit quorum sanguis careat adhuc tristi » illâ inflammationis purulentæ notâ caracteris- » tica. » Nos optimi ominis illius absentiam , præsentiam verò , non pro pessimo habebimus cum nullæ ferè sint inflammationes , in quibus non existat , & multæ quotidie sanentur.



 C A P U T Q U A R T U M

De Curatione.

A R T I C U L U S P R I M U S

De Gastricâ.

UT quæ mihi sunt de curatione dicenda, methodicè absolvantur, agam in genere de variis remediorum classibus huic morbo appropriatis. Cum in illis adeò sint multiplicatæ species, utiliores feligam, quarum virtutem, tempus, & administrandi modum, breviter enarrabo.

Variæ illæ remediorum classes vel internè sumuntur, vel externè applicantur. Juxtà illorum actionem ne adsit confusio questio movebitur primo.

D E I N T E R N I S.

Internorum nomine donantur remedia, quæ intùs assumpta, vel evecuationem, vel alterationem humoribus nostris inferre valent, sed cum tot sint in corpore nostro humores; totque remedia ad unumquemque, vel alterandum, vel evacuandum; de iis omnibus scribendi nec animus est, nec necessitas exoptulat. Illa tantùm enuntiabo, quæ ad morbi nostri curationem conducere speciali modò possunt.

Emetica. Substantiæ, quæ agendo suprâ primas

vias materiès in ventriculo , vel intestinis contentas expellunt irritando , & peristalticum motum inver- tendo ; speciali sub emeticorum titulo veniunt. Patet ex solâ definitione quantæ sint utilitatis , cùm directè agant in causam materialem , & sublatâ illâ causâ ut vidimus tollatur morbus.

Ex duplici regno desumi possunt , ex vegetabili nempè & minerali. Inter ea quæ à primo suppeditantur , aliquâ cum utilitate unicum præscribi liceret ; hypecacuanha scilicet , sed nequaquam adhibetur præsertim æstate , autumno , ubi viscosæ materiès ventriculi & intestinorum parietibus adhærent ; & difficilè moventur , tùm quia vim non habet dissolventem , & attenuantem , tùm quia crassis involvitur materiebus , effectumque nullum producit ; tùm quia tandem , sunt temperamenta delicatula , quæ illius acceptioni respuunt. Sola igitur præstantissimum habent successum , quæ è regno minerali desumuntur. Sic variæ antimonii præparaciones , & tartarum emeticum præcipuè juxtâ methodum stollianam , curationis majorem adimplet partem. In primis morbi temporibus debet propinari attendendo ad saburræ evacuandæ consistentiam. Si de viscositate dubitetur , & urgens non sit periculum , vel in morbi principio vocatus fuerit Medicus , illius usum antecedere debet potûs diluentis administratio ; ut meliùs suam exerat actionem. Si urgeat periculum , & sub fine morbi vocatus fuerit Medicus , subito propinandum , tunc enim dosis prima fluidiorem partem evacuat ; & vi dissolvente , & attenuante crassiorem incidit ; ita ut alterâ exhibitione foras amendantur reliquia. Ultima hæc methodus tentanda est solummodò in casu ubi lon-

gior esset primâ , aliter enim ob illâ discedendum.

Cathartica. Catharticæ dicuntur substantiæ , quæ virtutem habent evacuandi per alvum. Videndum utrum in isto morbo convenient ? Quæstionis solutio nequaquàm difficilis ; nam si consideremus , quod possit remanere intrâ intestina pars quædam materiæ , quæ actioni emeticorum se subduxit , videbitur quod optimè prodesse possint.

Ex duplici etiam regno illa habemus , vegetabili scilicet & minerali. Quæ ex vegetabili in hoc morbo conveniunt , sunt anti-biliofa , ut cremor tartari , tamarindi , &c. Quæ è minerali , salia neutra , sal glauberi , sal epsoniense , quod aliis convenientius esse videtur , utpotè cum , basim habeat absorbentem , ex harumce substantiarum permixtione , fiunt potiones purgantes , ptyfanæ , quæ dulcem , & optimam præstant in hoc morbo medicinam. Debent adhiberi cum jam præcesserunt emetica , ideòque nunquàm in principio morbi , nam tunc materies in ventriculo contentas , per tractum intestinorum ducent ; quæ à valis chyliferis absorptæ , massam sanguineam inquinabunt , ac proindè morbum , sat mali moris , pessimum efficient.

Bechica. Bechica definiuntur remedia quæ expectorationi favent. Vel consistentiam humoris evacuandi adaugent , & incrassantia ; vel minuunt & incidentium nomine insigniuntur. Horum , nullus est qui utilitatem non videat , tum ad coctionem promovendam , tum ad tollendos crassiores pulmonum infarctus.

E triplici regno fluunt , animali , vegetabili & minerali. In primo de melle tantùm loquar , cum & optimi sit usus , & communissimum efficiat reme-

dium. posset quis objurgare ex eò quòd, illud ad animale regnum retulerim, sed respondebo objurganti quod nobis olim dixit in materie medicâ Cl. hujus Universitatis Professor D. D. *Gouan* quod tritam sit viam sequendum, & in re tam parvi momenti cum aliis errandum, ne stabilitus invertatur ordo. Quæ è vegetabili, sunt plurima, sic *pulmonalis*, *borrago*, *gliscirrhisa*, *tussilago*, &c. debent vulgo primis morbi diebus in usum vocari, cum vim incrassantem habeant, & nimis tenuem materiem, ad requisitam coctionem ducere possint. Illâ vel sub formâ ptyisanæ, vel sub formâ syrapi exhibentur. Secunda methodus melior cum propositum, magis directè attingat. Quæ tandem è regno minerali, sunt *kermes minerale* vel *tartarum emeticum*. Sub fine morbi præsertim debent adhiberi, ad nimis crassam materiem incidendam ac proindè ipsius favendum expectorationi. Anteponendum esset *tartarum emeticum* kermeti minerali, cum ultimum in aquâ non dissolvatur, sed nova adest illud exhibendi methodus quâ æquè fit utile. Hanc optimo cum successu sequitur jam nominatus D. D. *Vigarous*. In eo consistit, ut granum unum in quatuor partes æquales dividatur, & unaquæque pars, in *looch albi* cocleare uno, unaquâque horâ vel unoquoque bihorio sumatur. Optima est hæc methodus in eo quod Medicus, de dosi quam sumit æger certus sit; dùm in aliis totum granum, ob famulantium inattentionem, ultimo sæpè sæpiùs bibebatur haustu. Optimum etiam præbet remedium compositio pharmaceutica ex melle, aceto & squillæ radice, quæ sub nomine *oximellis squillictici* cognoscitur, virtutem habet incidentem & atte-

nuantem , convenitque ubi *tartarum emeticum* , & *kermes minerale*.

Refrigerantia. Refrigerantia sunt remedia , quæ vim habent , nimium humorum æstum temperandi porrò in hoc morbo conveniunt , cum adsit æstus magnus , & anti-biliofam pleraquè habeant virtutem.

Ex triplici etiam regno haberi possunt. Quæ ex animali sunt *aqua pulli* , *aqua vituli* , &c. quæ è vegetabili sunt *nimphææ* , *parietariæ* , *fragariæ* , radices. *Hordeum* , *acetum* , *mala cydonia* , *aurantia* , &c. Quæ è minerali *nitrum* , *crystallum minerale*. Omni morbi tempore exhiberi possunt , vel sub forma ptyfanæ , vel sub forma jusculi quibus , si casus requirat , immiscebuntur jàm nominata bechica , optimo cum successu.

Narcotica. Quæ valent dolorem sedare , somnum consiliando , & variis corporis partibus laxitatem inferendo , tali sub voce designantur. Unum tantùm seligemus in regno vegetabili , *Laudanum* scilicet. Duplici sub casu convenit , vel ubi nimius sedandus est dolor vel ubi propter diarrhæam & debilitatem , nimis crassiora fiunt sputa aut omninò supprimuntur. In illo administrando , prudens debet esse Medicus. Sic in primo casu parva quantitas optimè agit dolorem sedando , ægrique vires reficiendo. In secundo vero juxtà *methodum stollianam* debet propinari , & nihil de illius usu timendum ; sistit enim plerùmque diarrhæam , & *kermes minerale* cum quo miscetur , laxato per somnum corpore , vim suam in pulmones efficacius exercet , sputaque facillimè promovet. En quæ pro temporis brevitate de internis dicenda putavi , nunc ut à profatis non desistam agendum.

D E E X T E R N I S.

Externa dicuntur ea, quæ suprâ exteriores corporis partes applicata effectum quemdam fortiuntur, qui varius est pro variâ illorum virtute. Paucissimæ sunt remediorum classes quæ sub illo conveniant ad duas præcipuè referri possunt, ad narcotica scilicèt, & vesicatoria illa seorsim consideranda, & primò.

Narcotica. Licèt ut superiùs patuit, internè adhibeantur, externè tamen aliquandò apponi possunt, sic v. g. ubi nimius sedandus est dolor, & internus timendus venit usus, licèt parcissimâ dosi exhibeantur, externè apposita eundem effectum fortiuntur & quidem cum minori vi: itaque meritò externus usus, interno tunc anteponendus.

Vesicatoria. Ut quæ de hujus morbi curatione dicenda sunt absolvantur, agendum de vesicatoriis. Talia non immeritò, à pluribus laudantur remedia, sed videtur quod in illis adhibendis sat parci non fuerint practicantes, & meritò dici posset quod olim nostrâ peritissimus in arte, *Celse* de venæsectione dicebat. « Sanguinem mittere novum non » est, sed nullum esse morbum, in quo non mit- » tatur novissimum. » Tali in errore præsertim incidit alias *Cel. Pringlius*, qui omnes morbos ope vesicatoriorum aggrediebatur, & quamvis veniam concédant Medici, dicendo quod morbi ab illo tractati essent inflammatorii simulque catarrhosi, non minùs venit redarguendus, quia tantùm sub titulo inflammationum, morbos illos cognovisse videtur, & enuntiasse. Unicus est casus in quo sub nostro morbo conveniant. Cum inutiliter adhibitis

narcoticis , non adduntur vires ob nimiam diarrhæam , vel aliâ qualibet de causâ debilitatæ. In illâ circumstantiâ , sequendum *Stollii* præceptum , & tanquàm rubefaciëntia , non tanquàm ulcerantia applicari debent cum effectum tonicum , non verò evacuativum exoptulet Medicus. Si jam dicta perpendamus , patebit quod sufficient indicata remedia ad morbum sanandum , modò sit sanabilis , aliter enim frustra laboraret Medicus , qui artem divinam non exercet juxtâ istas. *Psalmi* 126 voces, *nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam.*

A R T I C U L U S S E C U N D U S

De Phlogisticâ.

Modum scribendi in articulo præcedenti stabilitum sequar , & quæ jam dixi inutilitatis causâ , hic non repetam , itaque sit quæstio.

D E I N T E R N I S .

Refrigerantia. De illis jam scripta sufficient. Hic tantum notabo quod acida non convenient , utpotè cum , vim habeant coagulantem , & valeant morbum ab spissitudine orientem adaugere. Ex illis tantummodò debet abstrahi nitrum , quod licèt acidum , vim non habeat coagulantem juxtâ Clarissimum *Lewis* , sed è contrâ & diluentem & refrigerantem , ab initio ad finem usque morbi adhiberi potest sub formâ vel ptyfanæ , vel jusculi , vel cremoris , relativè ad remediorum adhibitorum naturam.

Bechica. Eadem esse debent ac in altero morbo dixi, & eadem formâ iisdemque temporibus adhibenda.

Diaphoretica. Diaphoretica nuncupantur remedia quæ valent evacuandum humorem ad cutim promovere; atqui in hoc morbo conveniunt; si enim recensendas videamus crises, cernere erit quod sæpissimè hic morbus per sudores terminetur. Cùm apparebunt signa illos denotantia, & tamen non accident, juvanda erit natura horumce remediorum ope. E duplici regno illa habemus præcipuè, ex vegetabili & minerali. In primo seligemus *flores sambuci*, *camphora*; in secundo totam adimplebunt paginam variæ antimonii præparationes, parcissimâ dosi exhibitæ, & in primis antimonium diaphoreticum.

Narcotica. De iis legantur in præcedenti articulo dicta.

D E E X T E R N I S.

Inter illa recensentur numero plura, ut cataplasmata emollientia vel narcotica. Emollientia, sub variis morbi temporibus, possunt applicari; narcotica ut jàm dixi, ubi nimius sedandus est dolor. Apponuntur etiam aliquo cum successu suprâ latus affectum *calidus later*, aut *hordeum torrefactum*, ad congestionem impediendam. Utilè non est hoc remedium nisi in primo morbi instanti; si enim jàm facta esset congestio, plus noceret quàm prodesset. Vesicantia etiam conducunt sub casibus recensitis, & eodem modo applicata.

Phlebotomiâ. Phlebotomia ea est chirurgica operatio, quâ venâ secatur, ad mittendum sanguinem. Hæc summum est, præstantissimumque

remedium. Sicut enim in altero morbo emetica, ita in isto venæ-sectio summum adimplet scopum. Ut de illâ pertractetur methodicè cum *Trillero* videbimus, 1^o. quo tempore mitti debeat sanguis. 2^o. An pluries? 3^o. In quânam parte fieri debeat sectio. 4^o. Quânam sit mittenda quantitas.

1^o. Quo tempore mitti debet sanguis. In hoc consentiunt Auctores ut in primis morbi diebus mittatur, sed nisi citò vocatus fuerit Medicus, vel si jam facta indicetur ex dolore summo, viribus, aut pulsu, institui potest juxtâ *Hippocratis* observationem qui ad septimam usque diem sanguinem misit. Huic opinioni assentitur Auctor cujus divisionem agendo de phlebotomiâ sequimur, cum octavo & nono etiam die optimo adveniente successu, hanc tentaverit operationem. Notandum tamen quod ita se gerere non debeat Medicus, si vel crisis, vel illius minima signa appareant. Aliter enim immutaretur naturæ ad crîsim intentæ motus.

2^o. An pluriès? Huic quæstioni accuratissimè non potest responderi cum difficultatis enodatio pendeat à temperamento & viribus; itaque totiès mitti debet sanguis quotiès indicant temperamentum, vires & pulsus. Et hæc sanè ad morbi curationem adimplendam satis esse possunt.

3^o. In quânam parte secari debeat vena? Inter se hac de re plurimùm dissentiunt Auctores. Jam sæpiùs nominatus *Trillerus* in principio morbi venam brachii secandam suadet. Talem agendi modum cum illo approbamus. Ratio est, quia cum tunc non profundè impacta, aut omninò perfecta sit congestio meliùs est derivare. Debet etiam in brachio parti affectæ correspondenti tentari. Hujus rei verita-

rem vidit jam dictus Medicus per observationem; sibi propriam. Si verò jam facta fuerit in brachio; tentanda in pede, quia tunc utilius est revellere ad minuendam irritationem, & avertendum ab illâ parte humorum affluxum. Si sub morbi finem vocatus etiã fuerit Medicus in pede celebranda; aliter enim nedum sublevaretur æger, è contrâ graviore afficeretur dolore & majus incideret in periculum, ob dictas rationes.

4°. Quænam mittenda quantitas? *Sydenhamius* 40 uncias per totum morbi curriculum mittendas dicit, cum sic loquitur in suo de pleuritide tractatu: « Et quamquam in curandis morbis integrum mihi » esse volo, ut plus minusve sanguinis pro rei ratione » demendum præcipiam, rarò tamen observavi » pleuresim confirmatam in adultis minori quam » 40 circiter unciarum sanguinis impensâ sanatam.» *Trillerus* contrâ donec amplius non appareat crusta phlogistica. Sed audax nimis hæc methodus cum aliquandò tota detrahenda veniret sanguinis massa. Ego ex caractere & vi peculiari morbi, ex viribus, pulsu, &c. Mensurandam esse sanguinis quantitatem censeo. Prudenter se geret Medicus qui hanc sequetur methodum, cum sanguinem ad uncias detrahare sit periculosissimum.



 C A P U T Q U I N T U M

De Prognosi , terminatione , crisi , & complicatione , utriusque morbi.

A R T I C U L U S P R I M U S

De Gastricâ.

Prognosis. C I R C A hujusce morbi prognosim paucissima dicenda veniunt. In genere prudens debet esse Medicus inexpertus præprimis & suæ famæ consulens , ad illam instituendam. In mentem semper revocet Clarissimi *Baglivii* , superius recensitum effatum , « ô quam difficilè de morbis pulmonum » certum dare præsagium ! » aliundè prompti esse non debemus cum & ægro , & parentibus , injucunda ferè semper fit. Attamen quædam dantur signa quæ etsi generalissima ad illam instituendam nos ducere possunt.

Primum , si viros infestet potiusquam fœminas boni est ominis.

Secundum , si latus dextrum potiusquàm sinistrum occupet.

Tertium , Si æger robusti sit temperamenti , & juvenilis ætatis.

Quartum , si propinatis emeticis dolor sæpè sæpiùs locum mutet.

Quintum , si symptomata nec morbi gravitatem adæquare , nec superare videntur.

Sextum , si adhibitis auxiliis æger levamen quoddam perfentiat.

Quæ pessimum morbum denotant sequentia sunt, saltem magis evidentia.

Primum , si jam recensita signa inverso ordine adveniant.

Secundum, si superveniat diarrhæa vires debilitans.

Tertium, si pravæ sint indolis excretiones, & præsertim alvinæ. Nam signum est humores intrâ primas vias contentos putridam & gangrænosam acquisivisse indolem.

Quartum, secundum *Hippocratem* & *Baglivium*; si jam sanata affectio iterum recrudescat. « Pleurides recidivantes, ut ipse dicit Medicinæ parens, » omnes fermè sunt læthales. »

Terminatio. Triplici modo ut alius quilibet morbus terminatur. Vel enim ad sanitatem, vel ad alium morbum, vel ad mortem vergit. Et à septimo ad decimum-quartum, vel ad vigesimum-primum se extendit. Cum ad sanitatem, vel per diarrhæam, vel per vomitum terminari solet, quæ quidem terminationes crises dici non valent, cum crises motus sint naturæ, & in isto morbo non naturâ, sed arte excitentur notante *Stollio*. Namque crisin facit Medicus nunc per vomitum, nunc per alvum ducendo, ideòque meritò naturæ dici potest in tali circumstantiâ minister.

Cum in alium morbum, in morbum putridum sæpè sæpius abit, vel per intempestivè adhibitam venæ-sectionem, vel per errores in diætâ commissos. His enim peccantibus, materies secundas vias ingredi & ex simpliciter gastrico morbum putridum malignumque efficere possunt.

Cum in mortem , inutiliter adhibitis variis remediis , graviora fiunt symptomata , ægri miserrimæ pereunt mali victimæ ; & hic patet quam ponderosissimum *Baglivii* dictum. « O quam difficilè curare » morbos pulmonum ! »

Complicatio. Tot possunt esse complicationis species quot sunt variæ diatheses ; nam vel cum catarrhosâ , vel cum phlogisticâ , vel cum verminosâ &c. complicabitur. Ideòque variam exiget curandi methodum. In variis illis casibus , adhibenda primo remedia quæ diathesim prædominantem valent corrigere juxtâ vulgatissimam therapæiæ regulam , ex duabus indicationibus urgentiori satisfaciendum. Si utraque eodem modo dominet diathesis , remedia utrique propria debent complicato etiam modò exhiberi ; & optima habebitur curandi methodus.

A R T I C U L U S S E C U N D U S

De Phlogisticâ.

Prognosis. Circâ prognosim dicta in articulo præcedenti sufficiant , addendum solummodò quod si in primis morbi diebus superveniat diarrhæa pessimi est ominis ; & boni contrà cum factâ venæsectione , fixus antea dolor ad scapulas protenditur. Hoc signum numquàm sibi defuisse asserit *Trillerus* vir in hoc morbo firmiter credendus.

Terminatio ut gastricâ plevro-peripneumonia terminatur. Cum in sanitatem , variæ sunt hujus prænuntiæ crises per quarum tempus Medicus non naturæ minister , sed tantùm contemplator esse debet si natura sibi sufficerit ; aliter juvanda per media

convenientia , crises quæ accidere solent sunt numero plures. Has seorsim enumerare meum est cum signis unicuique propriis.

Prima , hæmorrhagia narium. Signa sunt rubor faciei oculorumque major , gravitas temporum , narium pruritus. Si hæc apparuerint & facta non fuerit crisis , promovenda *sternutatoriorum* ope. Eadem sequenda methodus quoad alias , remedia unicuique propria adhibendo.

Secunda , sudores. Illos futuros denotant cutis antea aridæ & siccæ mollities & humiditas , pulsus ex duro mollis.

Tertia , urinæ. Si per urinas solvatur adparent lumborum hypocondriorumque gravitates , & ardoris circà pudenda sensus.

Quarta , sputa. Hanc præsentem denotant sputa cocta , requisitæ consistentiæ & facilis illorum è pectore expulsio.

Quinta , diarrhæa. Advenire suspicatur per cholicas , borborygmös , &c. Aliundè notandum quod rarò hanc viam sequatur natura.

Sexta , abscessus externus. Nàm notante *Stollio* parotis quæ supervenit morbum solvere valet. hujus advenientis signa sunt tumoris inflammatorii , ut dolor , tensio , rubor , &c. Hanc etiam terminationem vidit *Baglivius* ; sic nàmque sese exprimit , Clarissimus ille Vir « pleuristici quibus in » interiora auris dolor , & exindè abscessus & pus » superveniebant omnes sanabantur. » Diximus in illis variis crisis recensendis quod omen sint infallibile ferè sanationis , sed addendum quod necesse sit , ut his advenientibus minuantur symptomata ;

nàm aliter morbus crudeliffimus fieri poffet ; & æger in majori verfari periculo.

Cum in alium morbum abit , tempore crisis accidit sæpè quod minutis aliis fignis , adveniant leves horripilationes , gravitas in pectore , febris fub vefpere adauctio , quæ quidem in pulmonum abfcelfum morbum abiiffe fignificant. Hæc terminatio fola eft , in quam morbus nofter abeat , cum in alium morbum tendit.

Cum ad mortem , omnia fubitò adaugentur fymptomata , & quali apoplectici pereunt ægro-
tantes.

Complicatio. Idem dicendum de illius quod de alteriùs complicatione dixi cum iisdem poffit immifceri. Diathefibus , & juxtà complicationem eadem requirat auxilia.

Jàm fatis de morbis duobus infenfiffimis , parva nàm differtatio , pro paginæ anguftiâ longior. Felix *Profeffores Illuftriffimi* , fi non novum hoc opusculum , cum è veftris , lectionibus quantum fieri potuit haufum , non dedignemini ; fed & illud , & Auctorem paterno oculo afpiciatis.

F I N I S.









